DISQUISITIONUM
DE SENECAE FILII SCRIPTIS
CRITICARUM CAPITA II

DISSERTATIO PHILOLOGICA QUAM AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO ROSSBACH
VRATISLAVIENSIS

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
CIƆIƆCCCLXXXII

GEORGIO KAIBEL

S

I.

De poematis Senecae.

Ex poematis[1]) Senecae praeter tragoedias et suspecta novem epigrammata unum exstare putant versum a Prisciano inst. gramm. VII p. 333, 14 H. servatum:

'gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba',

qui idem legitur apud Ovidium art. am. II 300. quare Lindemannus ad locum Prisciani adnotavit non integrum versum Senecam ab Ovidio mutuatum esse, sed eadem tantum syllabarum quantitate atque illum vocem 'gausapa' usurpasse. at ut taceam ipsa Prisciani verba[2]) huic interpretationi obstare, nequaquam a verisimilitudine abhorret Senecam integrum Ovidii versum in usum suum convertisse. neque enim solo Vergilio excepto in libris philosophiae ullius alius poetae versus tam saepe affert quam illius, quem nat. quaest. III 27, 13 'poetarum ingeniosissimum' appellat et pater quoque eius plurimi fecerat[3]). deinde, quam frequenter in tragoediis Seneca Ovidium imitatus sit, in observationibus criticis[4]) Fridericus Leo docuit notumque est cum omnes scriptores veteres[5]) in expilandis eorum, qui ante eos scripserant, copiis multo minus cautos atque anxios fuisse quam nos, tum Senecam unum omnium minime[6]). eo autem propensiorem ad Ovidii imitationem eum fuisse vel idcirco credibile est, quod

---

[1]) v. Quint. inst. orat. X 1, 128 et quae mox de eo loco in tertio harum quaestionum capite Hermae inserendo disputabo.

[2]) sunt haec: 'Seneca Ovidium sequens: gausapa si sumpsit', eqs.

[3]) controv. II 2, 8 et 9 et alibi.

[4]) p. 156 sq., 166 sq.

[5]) de Latinis imprimis conferenda sunt, quae M. Hertzius in Hermae vol. VIII (1874) p. 261 sq. doctissime disputavit.

[6]) ep. mor. X 3, 6, quae est epistula illa notissima de Aetna, haec suadet Seneca amico poetae: 'sed multum interest, utrum ad consumptam materiam an ad subactam accedas: crescit in dies et inventuris inventa non obstant. praeterea condicio optima est ultimi, parata verba invenit, quae aliter structa novam faciem habent. nec illis manus inicit tamquam alienis. sunt enim publica.'

hodie quoque eius scripta ingenium et mores Ovidianis similes [1]) ostendunt. iam vero versus ille pertinere videtur ad 'versiculos illos severos parum' a Plinio minore in epistulis [2]) memoratos, qui aut ab adulescente scripti esse possunt aut primis Neronis annis, quibus calumniatores apud Tacitum [3]) dicunt eum 'carmina crebrius factitasse, postquam Neroni amor eorum venisset'. fecit tamen — id quod Haasium [4]) fugisse videtur — etiam Corsicae in exilio carmina, quod apparet ex iis, quae ad matrem Helviam de consol. 20, 1 scripsit: 'animus omnis occupationis expers operibus suis vacat et modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam sui universique naturam veri avidus insurgit [5]).' tum igitur novem illa 'epigrammata super exilio', quod nomen iis in exemplaribus impressis imponi solet [6]), si genuina sunt, ab eo scripta esse verisimillimum est.

haec cum post alios Alexander Riesius [7]) exceptis tribus [8]) (1 = 236 apud Riesium in anthologia Latina, 2 = 237 R., 7 = 232 R.), quibus in Salmasiano et Parisino 8071 (olim Thuaneo) anthologiae Latinae codicibus Senecae nomen praeponitur, Annaeana esse negasset, eam sententiam etiam Teuffelius [9]) et alii in libris cotidiano usui destinatis amplexi sunt. attamen ex iis, quae ille fusius exposuit [10]), nihil aliud intellegitur nisi a

---

[1]) v. Teuffel R. L. G. [4] p. 642, G. Bernhardy, Grundriss der röm. Lit. § 124. praeterea libri a Seneca in exilio scripti et singulis sententiis et flebili sermonis colore mirum quantum concinunt cum carminibus ab Ovidio Tomis compositis.

[2]) V 3, 15.

[3]) ann. XIIII 52.

[4]) hic veterum scriptorum de Senecae carminibus testimonia composuit in editione sua vol. III p. 419.

[5]) v. Lipsii praefat. p. XVIII et eiusdem adnot. ad hunc locum.

[6]) apud Haasium leguntur vol. I p. 261 sq. 'epigrammatum' nomen non codicum sed Lipsii auctoritate, qui primus, quod sciam, ea Senecae operibus adiunxit, nititur neque in quintum, sextum, nonum, quae multo aptius elegidia dicas, cadit.

[7]) nov. ann. phil. et paed. vol. LXXXXVIIII, p. 279 sq.; anthol. Lat. I 1 p. XL; Jahresber. über die Fortschr. der class. Alterthumswiss. VI p. 106 sq.

[8]) haec quoque secundum Lipsium 'sive ab ipso sive de ipso' Seneca scripta esse dicit p. 279.

[9]) R. L. G. [4] p. 652. tamen Riesius hoc non persuasisse videtur R. Peipero. v. mus. Rhen. XXXI p. 193.

[10]) l. c.

Pithoeo[1]) primo sex illa epigrammata, quibus in codicibus Senecae nomen non adiciatur, ei vindicata esse, unde in Lipsianam[2]) et mox in alias et librorum philosophiae et tragoediarum editiones transierint. nam postquam illa dixit, paucis verbis carmina illa exceptis quattuor genuina esse potius praefracte negat[3]), quam a Seneca profecta non esse certis evincit argumentis. contra mihi quidem vix credibile est Pithoeum, qui ut omnes illius aetatis viri eruditi Senecam suum probe callebat, nulla alia causa adductum esse, ut cetera quoque carmina Annaeana putaret, nisi quod in Vossiano 86 iuxta ea, quae in Salmasiano Senecae adscripta viderat (1 = 236 R. et 2 = 237 R.), ponebantur. porro I. I. Scaliger[4]) non is erat, qui septem carmina, quae in Vossiano — nam Salmasianum aut Thuaneum non noverat — hoc ordine se excipiunt: 9 = 409 R., 1 = 236 R., 2 = 237 R., 3 = 396 R., 6 = 405 R., 4 = 410 R., 5 = 412 R., illam solam ob causam et quod re obiter considerata non prorsus dissimilia inter se viderentur[5]), eiusdem auctoris esse diceret. neque Fridericus Haasius[6]), vir de Senecae libris praeclare meritus, 'epigrammata nonnullis sine idonea causa spuria visa esse' temere scripsisse putandus est.

iam si accuratius[7]), id quod nondum factum est, hanc quaestionem pertractaverimus, primum duo illa de Corsica carmina[8]) et tertium, cuius in codicibus lemma barbarum est 'de qualitate temporis', non tantum ex librorum auctoritate Senecae tribuenda

[1]) P. Pithoei epigrammata et poematia vetera, 1590, p. 42 sq.

[2]) edit. ab ult. manu p. 67—69.

[3]) ipsa eius verba sunt haec: 'die innere Wahrscheinlichkeit spricht abgesehen von den drei als echt überlieferten Gedichten (die poesielose Art von c. 1 spricht nicht nothwendig gegen ihn) und von dem an Corduba, dessen Verfasser jedenfalls an Seneca gedacht haben wird, nirgends auch nur im Entferntesten für irgend eine Beziehung auf denselben.'

[4]) P. Virgilii Maronis appendix cum supplem. multorum poematum veterum poet. Lugd. Bat., 1573, p. 197 sq.

[5]) talia enim ei imputat Riesius p. 279.

[6]) vol. I p. VI.

[7]) solus qui hoc fecit Feod. Gloecknerus in mus. Rhen. XXXIIII p. 140 sq. unum tantum modo carmen (8 = 441 R.) tractavit, ceteri argumentis certis non additis genuina esse epigrammata aut contenderunt aut negarunt. verum tamen Gloecknerus quoque cetera octo epigrammata Annaeana esse vix putat.

[8]) haec Senecae esse, cum Salmasiano, in quo eius nomen servatum est, non uteretur, coniecit Scaliger apud Burmannum anthol. tom. I p. 464b.

esse intellegemus, sed etiam ob sententias, quas continent et ob orationem ipsam. talia enim sunt duorum illorum, quibus de Corsica agitur, — nam de his primo loco dicendum est — praesertim in extremis versibus verba, vix ut ab alio quoquam quam ab homine, qui Corsicae exsularet, composita esse possint. veri simile autem est eum, cum miserrime lamentetur atque adeo exsilium suum cum vivorum sepultura (1, 8) comparet, legentium maximeque, ut videtur, eorum, qui eum inde liberare poterant, animos commovere velle. quae quidem omnia in Senecam cadunt, qui in dialogis de consolatione ad Helviam matrem et ad Polybium Claudii libertum praepotentem ex Corsicano exilio missis simillima proferat. quorum locorum conspectum hic subicio:

epigr. 1, 1 sq.: 'Corsica Phocaico tellus habitata colono, Corsica, quae Graio[1]) nomine Cyrnos[2]) eras.'	ad Helv. 7, 8: 'haec ipsa insula saepe iam cultorem mutavit. ut antiquiora, quae vetustas obduxit, transeam, Phocide relicta Grai, qui nunc Massiliam incolunt, prius in hac insula consederunt.'
1, 4 sq.: 'Corsica piscosis pervia fluminibus.'	9, 1: 'non magnis nec navigabilibus[3]) fluminum alveis inrigatur.'
1, 5 sq.: 'Corsica terribilis, cum primum incanduit aestas, saevior, ostendit cum ferus ora canis.'	6, 5: 'quid ad caeli naturam (Corsica) intemperantius'
2, 5: 'imbriferum ver.'	7, 8: 'ex qua quid eos (Graios) fugaverit, incertum est, utrum caeli gravitas,' eqs.

[1]) 'patrio' Haasius et Riesius ex Salmasii coniectura, 'pario' A B. multo vero melior est codicis V lectio 'Graio', praesertim cum 'Cyrnos' non patrium Corsicae nomen sit, sed id, quod coloni Graeci ei indiderant. immo ab indigenis et Romanis Corsicam eam insulam vocatam esse tradiderunt Dionysius orb. descr. 458: *ἐπήρατος εἰν ἁλὶ Κύρνος, ἥν ῥά τε Κορσίδα φῶτες ἐπιχθόνιοι καλέουσιν* et Strab. V p. 224: *ἡ δὲ Κύρνος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖται Κορσίκα.*

[2]) vocis 'Cyrnos' Graeca terminatio convenit cum more illo Senecae nominibus Graecis terminationes suas relinquentis. in qua re ne recentiores quidem editores ubique sibi constiterunt velut Kochius, qui ad Helv. 9, 8 Mediolanensis primariam scripturam 'Aegyptos' secunda manu, quae haud pauca et in primis leviora ex arbitrio corrigere solet, in 'Aegyptus' mutatam non probavit.

[3]) omnes sciunt hoc fluminum genus piscibus abundare.

1, 7: 'parce relegatis, hoc est: iam parce solutis.[1])'	ad Polyb. 18, 9: 'haec, utcumque potui, longo iam situ obsoleto et hebetato animo composui.'
1, 8: 'vivorum cineri sit tua terra levis.'	ad Helv. 2, 5: 'hoc adhuc defuerat tibi lugere vivos.'
2, 1 sq.: 'barbara praeruptis inclusa est Corsica saxis, horrida, desertis undique vasta locis.'	6, 5: 'quid tam nudum inveniri potest, quid tam abruptum undique quam hoc saxum? . . . . . quid ad ipsum loci situm horridius?'
2, 3 et 5: 'non poma autumnus, segetes non educat aestas, nullaque in infausto nascitur herba solo.'	9, 1: 'at non est haec terra frugiferarum aut laetarum arborum ferax. . . . . vix ad tutelam incolentium fertilis.' 6, 5: 'quid ad copias respicienti ieiunius?' (quam hoc saxum.)

videmus igitur praesertim in Corsicae descriptione sententias fere easdem et verba simillima, nisi quod in epigrammatis more poetico omnia paullum exaggerantur. ea tamen est similitudo, quae vix ac ne vix quidem imitatione locorum, qui sunt in dialogis, a falsario nescio quo profecta esse possit. hic enim multo pressius se ad singula verba applicasset neque, id quod hic factum videmus, res protulisset neque ab auctore suo memoratas neque vulgo notas (1, 2; 5; 6; 2, 1; 5; 7). quem vero alium virum Corsicae exsulantem (1, 7; 2, 8) haec ita ex mente Senecae scripsisse credibile est, ut sententiae non modo similes sint, sed egregie Senecae ingenio et moribus adaptatae? accedit quod vix alius ullus scriptor saepius, quae ipse scripsit, aliis locis quamvis mutatis semper verbis iterare solet. denique haud paucae epigrammatum locutiones recurrunt in tragoediis: 1, 3: 'Corsica . . porrectior Ilva', H. O. 4: 'quacumque Nereus porrigi terras vetat'; 1, 4: 'Corsica piscosis pervia fluminibus', Thyest. 844: 'hic qui sacris pervius astris secat obliquo tramite zonas flectens longos signifer annos, lapsa videbit sidera labens', H. O. 151: 'nullis vulneribus pervia membra sunt'; 2, 3: 'segetes non educat

[1]) v. ep. mor. VIII 2, 13: 'quicquid est, non erit nec peribit, sed resolvetur. nobis solvi perire est.' et alios locos.

aestas', Oed. 600: 'non tot caducas educat frondes Eryx'; 2, 7: 'ultimus ignis', H. O. 1609: 'ultimos invasit ignes', Oed. 59: 'portat hunc aeger parens supremum ad ignem'. in quincuplici autem anaphora nominis 'Corsica', quae est in priore epigrammate, quis non agnoscat Senecam hanc figuram in omnibus scriptis ad taedium usque adhibentem?

idem dicendum de tertio[1]) trium horum carminum, quae codicum testimonio Senecae tribuuntur. valde enim is amat locum illum de fragilitate rerum humanarum eodemque fere modo atque hoc poematio consolationis ad Polybium capite primo exposuit. interitum vero mundi Stoicorum, qui versibus 5 et 6[2]) aperte significatur, tetigit et illo loco et nat. quaest. III 30, 1. eiusdem capitis paragraphus secunda eandem sententiam atque epigrammatis versus tertius: 'flumina deficiunt, profugum mare litora siccat[3])' continet, nisi quod paullum amplificata est, et verba, quae sunt (7): 'lex est non poena perire' iam Lipsius cum consolationis ad Helviam his verbis (13, 2): 'si ultimum diem non quasi poenam sed quasi naturae legem aspicis' contulit. praeter quae etiam ea, quae de remed. fortuit. 2, 1 exstant, afferre poterat: 'morieris. ista hominis natura est, non poena.' nec minus codicum auctoritas eo confirmatur, quod, ut in versu quarto 'montes subsidere' dicuntur, ita Oed. 574 'silva' et epist. mor. IIII 1, 14 'ignis', deinde quod in eodem versu 'iuga celsa' appellantur, sicut Troad. 221 'apposita celso parva Lyrnesos iugo' scriptum videmus,

---

[1]) 7 = 232 R. legitur autem hoc carmen, quam rem A. Reifferscheidius, praeceptor maxime venerandus, mecum communicavit, etiam in codice Romano saec. VIIII bibliothecae S. Mariae supra Minervam B. IV. 18. v. eius biblioth. patrum Lat. Italica II p. 163 adnot. 5. quod post nostrum in codice illo exstat carmen initio truncatum, est apud Riesium 224.

[2]) similes et iam a Burmanno secundo allati sunt versus Ovidii met. I 253 sq.: 'esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus, quo mare, quo tellus correptaque regia caeli ardeat et mundi moles operosa laboret.' qua item ex re Seneca agnoscitur, qui quam saepe Ovidium imitetur, supra dictum est. praeterea initium carminis admonet nos notissimorum illorum (met. XV 235): 'tempus edax rerum tuque invidiosa vetustas omnia destruitis'.

[3]) quamquam Riesius cum Heinsio 'siccant' scripsit, retinenda tamen est codicum lectio 'siccat', quippe quae bene sic explicari possit: 'profugit mare ita, ut litora siccet.' recepta enim Heinsii coniectura inconcinnitas oritur maxima, cum non 'flumina' et 'mare' sed 'flumina' et 'litora' sibi respondeant nimisque quaesitum videatur mare litoribus siccari.

denique quod verba (5): 'quid tam parva loquar?' Senecam, et in tragoediis et in philosophia rhetorem, digito demonstrant.

iam quod ad cetera carmina attinet, quibus in codicibus Senecae nomen appositum non est, sed quae Scaliger, Pithoeus, alii ei tribuerunt, vix maior in ea fraudis suspicio quam in ea, quae modo pertractavimus, cadit. quis enim credat falsarium iis carminibus, quae ex mente Senecae finxisset, eius nomen non apposuisse? superest igitur, ut hoc, cum ante appositum esset, postea periisse putemus. nam cogitasse tantum poetam de Seneca, id quod Riesius de carmine 'de se ad patriam' (9 = 409 R.) dicit, verum esse vix potest.[1]) sed si fuit falsarius, personam eius et peritissime et vaferrime sustinuit. itaque ut taceam eum scivisse Senecam in scopulum h. e. in Corsicam (9, 14 et 6, 11) relegatum esse et Cordubensem fuisse, huius urbis historiam multo melius quam ullus alius scriptor vetus cognoverat. versibus quinto usque ad octavum bellum Hispaniense inter Caesarem et Pompeii filios gestum significatur. nam bello Afraniano Cordubam vexatam esse traditum non est. optime autem tum Corduba 'geminis oppressa malis utrimque periisse' dicitur. cum enim reliquiae Mundensis proelii eo confugissent, oppidum et a Caesare oppugnatum et a servis civium, quos Sex. Pompeius in libertatem vindicaverat, perfugisque, qui in eo erant, incensum est.[2]) dein quae memorantur (9): 'ter funera centum' et 'Lusitanorum latronum' incursio usque ad portas oppidi grassata, ea ex hoc solo epigrammate novimus. non minus callide idem, si dis placet, omnium falsariorum acutissimus et eruditissimus initio exilii Senecam illa scripsisse, cum fama eius rei nondum Cordubam pervenisset[3]), commentus est egregieque eius partes ea quoque in re egit, quod maxima, quam Senecae de se opinionem fuisse scimus[4]), cum ex versu 13, qui est: 'ille tuus quondam magnus,

---

[1]) qui sine fraude de aliquo scribunt, non callide orationem eius imitantur neque sententias ad ea, quae alibi scripsit, accomodant. exemplum est Octavia, quam non ita multo post Senecae mortem a viro, cuius nomen periit, scriptam et oratione atque aliis rebus alienam originem ostendentem is demum, qui alteram tragoediarum recensionem instituit, iis adiecit. v. Leo observat. p. 1.

[2]) bell. Hisp. 33 sq., Dio Cass. XXXXIII 39, Appian. bell. civ. II 105.

[3]) vss. 14—17. cf. Frid. Jonas, de ordine librorum L. Annaei Senecae philosophi Berol. 1870. p. 29 sq.

[4]) epist. mor. II 9, 5: 'profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exserent et in idem quandoque silentium abitura

tua gloria, civis infigor scopulo', tum ex toto carmine apparet. at hercle sermonis quoque Annaeani perquam peritus fuit homo ille. dixit (1): 'tristes indue vultus', Seneca ad Polyb. 5, 5: 'indue dissimilem animo tuo voltum', de benef. II 2, 2: 'induit sibi animi sui vultum', Ag. 707: 'induit[1]) vultus feros': v. 12: 'lancea torta'. Seneca Phaedr. 534 sq.: 'torta . . . . ballista.' deinde more Annaeano, quem iam in primo epigrammate, cum de anaphora nominis 'Corsica' diceremus, observavimus, hic nomen 'Corduba' quater repetitur et verba (2): 'cineri munera mitte meo' cum iis, quae 1, 8 leguntur et cum loco[2]) consolationis ad Helviam, quem cum iis supra contuli, comparanda sunt. possum etiam alia de orationis similitudine proferre. verum haec, opinor, sufficient. quis enim tam versutum falsarium[3]), qualem unquam exstitisse vix quisquam probabit, animo suo informare malet quam cum Pithoeo hoc epigramma ἀδέσποτον Senecae tribuere?

eadem vel admodum similis est condicio reliquorum sex carminum a Pithoeo Senecae adscriptorum. itaque num iure ille hoc fecerit, iam valere iusso falsario quaerere nobis licebit. apparet autem eiusdem argumenti eiusdemque poetae esse duo illa epigrammata (3 H. = 396 R., 4 H. = 410 R.), quibus poeta aliquis calamitate quadam graviter afflictus in hominem quendam, olim amicum, sed tunc sibi infestum, invehitur. quae calamitas cum in priore elegidio cum ipsius morte (v. 1, 3, 4), in posteriore[4])

oblivioni resistent ac se diu vindicabunt. quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. habebo apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere.' X 3, 13—18 postquam se et Lucilium cum Democrito, Socrate, Catone, Rutilio, Epicuro, Metrodoro comparavit, haec dicit (17): 'ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo, tamen etiam non sentientes colet et frequentabit.'

[1]) maximopere amat Seneca hoc verbum et saepe eo utitur significatione translata. frequentia sunt apud eum: 'animum induere', 'animo aliquid i.', 'speciem recti i.', 'se rei publicae i.'; quin etiam Med. 43 legitur: 'et inhospitalem Caucasum mente indue.'

[2]) 2, 5.

[3]) Casparus quoque Barthius, qui sub Senecae nomine epigrammata a falsario aliquo scripta esse dixit, ingeniosum eum fuisse concessit, adversar. XXXXVIIII 18 p. 2319.

[4]) in versu 9 'sacra', quod post Tollium omnes pro codicum lectione 'atra' receperunt, mihi displicet. hoc enim modo inimicus, cum res sacrae a 'sacrilegis' (10) violentur, non prohibetur, ne poetam in posterum laedat. at nonne 'miser', qui cum 'busto' comparatur, 'res atra' eodem sensu dici

cum morte et sepultura conferatur (2. 4. 5, 6, 8, 10), mirum quantum hoc convenit cum primo epigrammate (236 R.), cuius septimus versus hic est: 'parce relegatis, hoc est iam parce sepultis (ita V. 'solutis' A B).' deinde ut 1, 8 'vivorum cineri' et 9, 2 'cineri meo' legitur. ita 4. 2 haec exstant: 'qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis.' quid igitur aliud calamitas illa esse potest nisi exsilium? gravius etiam argumentum petitur ex versu secundo. nam quod ibi de 'tantis subitisque ruinis' sermo est, Senecam quoque, cum ante magno in honore fuisset, subito in exsilium missum esse scimus. narrat id ipse eo loco, qui est ad Helv. 15, 2: 'nam hoc quoque adversus te crudeliter fortuna molita est, quod te ante diem tertium quam perculsus sum securam nec quicquam tale metuentem regredi voluit.' itaque egregie haec cum rebus Senecae congruunt et facile fieri potuisse, ut ei in exsilium pulso homo aliquis per carmina inluderet, vix, puto, quisquam negabit. orationem vero hic quoque similem esse videmus atque in Senecae scriptis. 3, 1 legimus: 'iugulum . . scrutaris', Oed. 965 'scrutatur avidus manibus uncis lumina'; v. 3 et 4: 'victori vulnus . . mortiferum impressit . . manus', epist. mor. III 3, 8: 'inpressit deinde (Cato) mortiferum corpori volnus', 4, 4: 'stringis tela', Oed. 89: 'tela . . stricta'.

cum his duobus quintum carmen (412 R.), quod in Vossiano inscribitur: 'in eum, qui maligne iocatur' coniungendum esse patet. nam eundem hunc inimicum, qui poetam malignis (6) et iocorum (14, 17, 18) plenis carminibus (1, 2, 9, 12) petiverat, esse posse atque eum, in quem tertium et quartum poematium compositum est, nemo non concedet. idem probare videntur verba versus decimi tertii: 'valide capitalia crimina[1]) ludis' acerba ironia in

---

potest quo 'dies ater', 'funus atrum', similia? hanc explicationem si tenuerimus, hic quoque poeta minabitur amico, cum, si 'sacra' scribimus, multo languidior sententia evadat. deinde miror, quod Riesius in versu primo interrogationis signum merito iam a Burmanno improbatum retinuit.

[1]) 'carmina' quod Scriverius coniecit et Haasius probavit, nequaquam est necessarium. nam cum Martialis VIIII 39, 1 'pericula ludere' dixerit, idem verbum etiam cum voce 'crimen' coniungi potest. suspicetur autem quispiam verba illa maligna et iocose prolata ad adulterium pertinuisse, quod Seneca cum Iulia Livilla Drusi f. commisisse dicebatur. (dixit de eo et locos collegit H. Lehmannus in libro: Claudius und seine Zeit, Gothae 1838 evulgato.) hoc et capitale crimen dici et per iocum ab inimico attingi poterat, cum Seneca in carminibus ex Corsica missis, sicut fecit in libris philosophiae, de eo tacere deberet.

eum dicta, qui impune h. e. in hominem graviter afflictum, qui nocere ei non possit, tanta crimina iacit. maxime vero Annaeanum hoc carmen esse orationis proprietate evincitur. sic quae in versu duodecimo 'lancea torta' dicitur, eadem in duodecimo versu carminis noni, quod supra Senecae vindicavi, et alibi apud eum reperitur; ut v. 9: 'in te . . . stringit . . . carmina vates' legitur, ita 4, 4: 'stringis in extinctum tela cruenta caput'; cum v. 8 ubi de homine insano haec dicuntur: 'et repetunt motum[1]) saxa cruenta caput' praeter locos a Burmanno secundo allatos: de tranq. an. 17, 10: 'nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. non potest grande aliquid et super ceteros loqui nisi mota mens' et ad Polyb. 18, 6: 'nos in eo teneat habitu, qui et piae mentis est nec emotae (sic A, 'motae' B D E)', comparari possunt verba haec (nat. quaest. VI 1, 3): 'motae post hoc (cladem Campaniae) mentis atque inpotentes sui errasse' eqs. porro in versu 1 legitur: 'carmina — — sunt suffusa veneno', H. O. 1405: 'igne suffusae genae', de ira II 36, 4: 'luminum suffundit aciem in oculos vehementius umor egestus' et particulam 'haud', quam in solutae orationis libris[2]) prorsus vitavit Seneca, ut in tragoediis[3]) ita hic (4) bis positam videmus. denique in secundo versu 'et', quod iure Riesius non cum Francio in 'at' aut cum Lindenbrogio in 'sed' mutavit, similem vim habet atque 'et tamen'. qui usus frequentissimus est apud Senecam et a Fickerto demum, cum antea omnibus fere illis locis 'sed' vel 'at' scriberetur, recto iudicio observatus. quod tamen is exempla non attulit, sed indicem suum[4]), qui nunquam prodiit, conferri iussit, hic ex magno

[1]) 'notum' quod Riesius ex coniectura sua, sed ante eum iam a Wehlio in museo Rhenano vol. XVII p. 621 prolata scripsit, codicum scriptura longe est deterius. paullo ante (4) 'tutas' ('totas' V) inmittit saxa per urbes' scripserim, quia 'tutas' sine dubio multo aptius est quam 'totas' et eo recepto 'aetas undique tuta senis' cum 'urbibus tutis' bene comparatur. pessime vero H. A. Kochius in mus. Rhen. XVIII p. 164 sq. in eodem versu 'vulnere' pro 'undique' coniecit. neque enim is ita, ut ille interpretatur: 'nicht der Knabe, nicht das Greisenalter ist von allen Seiten sicher' intellegendus est, sed praecedentis versus verbum 'fugiat' huc trahendum. dein 'undique tuta' aetas senum ideo dicitur, quod homines veneratione permoti eos non laedunt.

[2]) hanc legem Senecam sibi imposuisse primus observavit F. Haasius in indice schol. aestiv. Vratislav. a. 1852 p. 18 et in editionis vol. III p. XIII. immemor fuit eius O. Ribbeckius in mus. Rhen. vol. XXXV p. 106.

[3]) Leo, observat. p. 65.

[4]) velut vol. I p. 631.

numero pauca ponam: epist. mor. XI 1, 2: 'magnum tamen verbum dixi, qui mihi silentium promittebam et sine interpellatore secretum. ecce ingens clamor ex stadio perfertur[1]) et ('at' Matthiaeus) me non excutit mihi.' XVI 5, 1: 'Fabiani Papiri libros, qui inscribuntur civilium legisse te cupidissime scribis et ('sed' Pincianus) non respondisse exspectationi tuae.' XVIIII 1, 10: 'quicquid nobis bono futurum erat, deus et parens noster in proximo posuit. non exspectavit inquisitionem nostram et ('sed' Schweighaeuserus, 'et' om. Muretus) ultro dedit, nocitura altissime pressit.' Troad. 193: 'non parvo luit iras Achillis Graecia et ('at' A) magno luet.' 329: 'mortem misericors saepe pro vita dabit.' Agam. 'et ('at' A) nunc misericors virginem busto petis.' Med. 172: 'profugere dubitas?' Med. 'fugiam et[2]) ulciscar prius.'

accedimus ad sextum epigramma, quod in V inscribitur 'ad amicum optimum' (405 R.). hoc Riesius[3]) Senecae abiudicavit, quod Crispus, qui in eo memoraretur, inter amicos Senecae non inveniretur. et sane verum hoc quidem est 'sine ulla', ut Lipsius ait, 'singularis amoris nota' eum nominari, at, etiamsi omnino non a Seneca memoratus esset, ea re non probaretur eum amicum non fuisse. age vero paullo accuratius Senecae locos, quibus de Crispo Passieno, claro illius aetatis oratore et Iuliae Agrippinae secundo marito[4]) loquitur, consideremus. sunt autem hi: de benef. I 15, 5: 'Crispus Passienus solebat dicere quorundam se iudicium malle quam beneficium, quorundam beneficium malle quam iudicium et subiciebat exempla: malo, aiebat, Augusti iudicium, malo Claudi beneficium' et nat. quaest. IIII praef. 6: 'Crispus Passienus, quo ego nil novi subtilius in omnibus rebus,

---

[1]) sic recte Aemilius Chatelain ex P, Pr. b, Arg. b scribi iussit in revue de philologie nouv. série I p. 215, cum ante eum 'profertur' vulgaretur.

[2]) 'sed' contra metrum iam E, de cuius interpolationibus v. quae Leo in observat. p. 439 dixit, 'at' Avantius.

[3]) l. s. p. 280.

[4]) v. de eo praecipue Juvenal. IIII 81 cum scholiis, in quibus, quamquam Vibius Crispus cum Passieno Crispo confunditur (v. Lipsii excurs. ad Tac. ann. XII 6), egregiae doctrinae reliquias servatas esse dicit O. Jahnius editionis suae p. 223. quod vero Hieronymus hunc secundo Claudii anno — eam ob causam Scriverius et Lipsius epigramma Annaeanum esse negant — 'fraude heredis suae' necatum esse tradidit, invenerat fortasse patrem eius L. Passienum Rufum illo anno obiisse, quocum, ut erat neglegens, filium clariorem confudit.

maxime in distinguendis et curandis vitiis, saepe dicebat adulationibus nos non claudere ostium, sed aperire et quidem sic, ut amicae opponi solet, quae si inpulit, grata est, gratior, si effregit.' videmus igitur utroque loco Crispum a Seneca, quamquam ipso amici nomine non appellatur, honorifice memorari et altero tantis laudibus efferri, quantae vix alii nisi amico vel viro maxime venerando tribui possint. ac ne in carmine quidem amici nomen illi nisi in lemmate, quod ut cetera anthologiae fere omnia a poeta ipso profectum non est, datur, sed verba sunt exsulis ad hominem potentem, quem, cum antea sibi favisset et ne tunc quidem a se abalienatus esset, cautis blandimentis prosequitur et sui admonet. praeterea cum loci illi ex iis libris sumpti sint, quos Seneca post exsilium et mortem Passieni scripsit, num mirum videri potest ei amici nomen non imponi? neque id a probabilitate abhorret eandem amicitiam, qua Senecam patrem et L. Passienum Rufum coniunctos fuisse scimus[1]), inter filios eorum intercessisse. quae quidem res tangi videtur epigrammatis versu nono: 'maxima facundo vel avo vel gloria patri.' verum autem post ea, quae Nicolaus Faber[2]) disputaverat, Bartolomaeus Borghesius[3]) hic quoque vidit, cum tres Passienos statueret: avum Passienum — nam cetera eius nomina nescimus — declamatorem, patrem L. Passienum Rufum Senecae patris amicum, filium C. Passienum Crispum. iam in hunc omnia egregie cadunt, quae de Crispo in epigrammate dicuntur: insignis erat eloquentia forensi (v. 2), erat potens[4]) (v. 3), patrem certe — nam de avo nihil affirmare ausim — habebat facundum (v. 9), in 'saxis' (v. 11 cf. 2, 1 et 9, 13) vero quemnam alium poetam Crispo aequalem exsulasse scimus nisi Senecam? minoris momenti est, quod vox 'Crispe' quater iteratur sicut in primo epigrammate nomen 'Corsica' et in nono 'Corduba' et quod versus decimus 'quo solo careat siquis, in exsilio est' locum consolationis ad Helviam in memoriam revocat hunc (9, 4): 'Brutus in eo libro, quem de virtute composuit, ait se Marcellum

[1]) Seneca controv. III 10: 'Passienus noster cum coepit dicere.'

[2]) in notis ad praef. libri III controversiarum p. 1017a editionis Senecae a Iano Grutero a. 1592 ex typographeo Hier. Commelini emissae. cf. And. Schottus, de claris apud Senecam rhetoribus, Paris. a. 1613. p. 13 sq.

[3]) oeuvres complètes V p. 157 sq.

[4]) quod in hoc versu Crispus dicitur: 'potens numquam, nisi cum prodesse volebas', ad alios, id quod Senecae quoque facere licebat, poeta respicere videtur, qui et ipsi potentes ei nocuerant.

vidisse Mytilenis exsulantem et quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem neque umquam cupidiorem bonarum artium quam illo tempore. itaque adicit 'visum sibi se magis in exsilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exsilio relinqui.' praeterea cum verbis 'lapsarum [1]) . . ancora rerum' (1) comparari possunt haec de vit. beat. 19. 1: 'laudavit . . (Diodorus) aetatis in portu et ad ancoram actae quietem'. cum 'naufragio litus . . . meo' (4) de benef. IIII 38, 1: 'etiam si uno facto praeclusurus est naufragis litora.' ut in versu octavo [2]) 'Cecropio . . melle' dictum est pro 'Attico', ita Phaedr. 2: 'montis . . Cecropii' et Thyest. 1049: 'Cecropiis . . terris'. ultimi [3]) denique versus 'mens tecum est. nulla quae cohibetur humo' sententia de benef. III 20, 1 pluribus verbis sic exprimitur: 'mens . . . . adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus inpetu suo utatur et ingentia agat et in infinitum comes caelestibus exeat.'

superest octavum carmen (441 R.) exitu, ut Lipsius primus vidit, truncatum. de quo non est, cur fusius disputemus, quia Gloecknerus [4]) Senecae id esse certissimis argumentis evicit, ante quem iam Heinsius, Lipsius, Burmannus secundus intellexerant 'fratrem maiorem' (v. 1) Annaeum Novatum esse, qui postea per adoptionem Iunii Gallionis nomen accepit, 'minorem' (ibid.) Annaeum Melam, quos Senecae fratres fuisse scimus. Marcus vero ille, 'dulci . . qui nunc sermone fritinnit' (v. 5), cum

[1]) 'lassarum' V, quod correxi, 'laesarum' Riesius nescio unde. at aptius est 'lapsarum', quod sollemni fere mendo in 'lassarum' corrumpitur. v. Sen. H. F. 646 et Thyest. 658, ubi merito Leo Etrusci scripturas reiecit. residet tamen in recentissimis editionibus idem vitium ad Polyb. 16, 6 et de benef. VI, 25, 4. Plauti (Stich. 522) et Ovidii (trist. V 2, 21) loci, qui in lexicis afferuntur, post recentiores editiones in censum iam non veniunt.

[2]) hic versus, quem Martialem VII 69, 2 imitatum esse Burmannus vidit, praeclare praecedenti respondebit, si cum eodem 'Latiique ('placidique' V) acerrima virtus' scripserimus. tum enim poeta virtutem Romanam et Atticam elegantiam in Crispo coniunctas praedicabit. contra recepta Riesii coniectura 'placidusque' displicet, quod verba 'acerrima virtus' nimis nude posita sunt.

[3]) certa praecedentis versus medela, si quid video, nondum inventa est. nescio an olim fuerit: 'an tum, cum iaceo' eqs., ut haec sit sententia: 'si quis te caret, in exsilio est. an mens mea, etsi ipse in exsilio sum, tecum versatur?'

[4]) v. p. 3 adnot. 7.

certum esset eundem eum esse atque Helviae Senecae matris nepotem ad Helv. 18, 4 sq. memoratum, iniuria ambigebatur[1]), utrum Senecae filius esset an M. Annaeus Lucanus, Melae filius. neque enim id solum verum est, quod Gloecknerus dicit, Marcum Senecae filium nusquam memorari. sed scimus eum filium, quem ex priore uxore susceperat, paucis ante exsilium diebus obiisse.[2]) postea vero alium ullum ei natum esse, cum cetera fere omnia, quae ad vitam eius pertinent, ipse attigerit, ignoramus et ad Helv. 2, 5 de orbitate sua loquitur.

atqui cadunt, quaecunque disputavimus, si vera sunt, quae Th. Birtius in 'symbola ad historiam hexametri Latini' Bonnae a. 1876 edita p. 65 adnot. 2 dicit epigrammata, quae sub Senecae nomine ferantur, quasi spuria abicienda esse ideo, quod alia eorum ratio sit atque 49 hexametrorum apocolocyntosis[3]) et 32 Oedipodis[4]) et Medeae[5]) elisione omnino carentium. mihi vero 'haec una causa' ex tam exiguo[6]) versuum numero petita nihil plane valere videtur contra argumenta supra allata, praesertim cum in 45 epigrammatum hexametris quinque tantum elisiones insint, quarum nulla est syllabae longae[7]). deinde ut per se credibile est poetam aliquem, qui alibi elisiones nequaquam vitaret, semel triginta vel quadraginta versus elisione carentes fecisse, ita, ut unum exemplum afferam, in Lucani, Senecae fratris filii Pharsaliae primis ducentis versibus 37 insunt elisiones, in I 70—102 inest nulla. ex reliquis autem poetis, qui Senecae temporibus fuerunt, in hexametris Calpurnius eandem fere rationem sequitur atque epigrammatum scriptor, plures elisiones inveniuntur in Iliade Latina, plures etiam in Petronii carmine de bello civili, longe plurimae in Aetna. itaque Seneca

---

[1]) Senecae filium eum esse putant Lipsius, Meyerus in commentario ad anthologiam, Haasius in indice i. v. 'L. Seneca' — i. v. Marcus 'Senecae fortasse filium' eum appellat — Lucanum Heinsius, Burmannus secundus, Gloecknerus.

[2]) ad Helv. 2, 5.

[3]) 2, 4, 15.

[4]) 233—238, 403, 404, 429—431, 445—448, 466—471, 504—508.

[5]) 110—115.

[6]) non memorarem eorum versuum, qui sunt in tragoediis, peculiarem et ab elegiacis diversam rationem esse posse, nisi ipse Birtius l. s. Senecam propter 'sonum tragoediae severum' duplicem caesuram in iis fugisse diceret.

[7]) semel (5, 13) syllaba anceps eliditur.

quoque in hexametris ut in ceteris versibus et tragoediarum et apocolocyntosis elisione non abstinuisse videtur, sed ita eam vitavisse, ut Ovidii, quem etiam hac in re sequitur, exemplo non frequenter eam admitteret [1]). intellexisse autem eum apud Vergilium 'duros quosdam versus et aliquid supra mensuram trahentes' exstare apparet ex epistularum libri vicesimi secundi fragmento apud Gellium XII 2 servato.

haec igitur novem epigrammata in codice miscellaneo Vossiano Q. 86 saeculi noni ineuntis cum aliis multis coniuncta leguntur. quae cum similia esse Annaeanis et antiqui coloris iam veteres anthologiae editores perspexissent, Riesius [2]) ita de iis iudicavit: 'iam vero carmina foliorum 91 v. — 99 v. omnia vere antiqua esse ex arte poetica sermonisque elegantia facile quivis perspicit; sunt inter illa, quae ad Claudiorum aetatem ascendere videantur, et quaedam Pompeii et Catonis reverentia vitaeque tranquillae laudatio saepius obvia veteris rei publicae status sectaeque stoicae studiosos, Lucanos dico, Persios, Senecas in memoriam revocat [3])'. longius progressus est Aemilius Baehrensius [4]), qui carmina 396—426 anthologiae Riesianae, in quibus carminum modo tractatorum 3. 6. 9. 4. 5 insunt, Senecae et 427—479 Petronio adscribit, cui 466 et 476 iam Fulgentii [5]), si qua est, auctoritate tribuebantur. hic gravissimum adversarium nactus est Riesium [6]) iure ei obicientem, quod non certis argumentis sententiam suam confirmaverit. quamquam non omnino perverso iudicio, ut ille vult, Baehrensius usus est. sunt enim inter illa carmina quaedam, quae Senecae esse eodem modo atque ea, quae exemplaribus eius adici solent, demonstrari possit. ac primum in hendecasyllabis 'de amico mortuo' (445 R.) Crispi alicuius ut in sexto epigrammate mentio fit. itaque post Scriverii tragoediarum editionem in aliis plurimis, quae illam secutae sunt, in numerum epigrammatum Senecae recepti sunt. iam vero Passienum

[1]) etiam Dracontius, quo vix ullus alius poeta elisionibus magis abstinuit in 620 versibus 18 elisiones habet. v. ea quae G. Loewius dixit in actis societ. philol. Lips. II p. 484.

[2]) edit. vol. I p. XXXIX.

[3]) haec fere secuti sunt Teuffelius R. L. G. [4] p. 698 et Aem. Huebnerus, Grundriss zu Vorles. üb. d. röm. Litteraturgesch. [4] p. 148.

[4]) mus. Rhenan. XXXI p. 256 sq.

[5]) v. quae Buechelerus in Petronii editione maiore p. 216 sq. disputavit.

[6]) Jahresber. üb. d. Fortschr. d. class. Alterthumswiss. VI p. 104.

Crispum. Agrippinae secundum maritum paullo ante, quam illa Claudium inlecebris suis inretire inciperet, mortuum esse scimus [1]). quid igitur probabilius est quam Senecam, qui etiam tunc Corsicae erat et iam ante ei, per quem exsilio se liberatum iri sperabat, carmen miserat, nuntio eius mortis vehementer perturbatum hoc carmen fecisse? accedit, quod reverentiam, qua amicum potentem et maiorem natu coluerat, verba (5): 'praesidium meum' ostendunt. ceterum vocabulum 'pectus' (v. 6), quod iniuria coniecturis temptatum est, eodem modo Seneca usurpavit ad Helv. 19, 1: 'illud fidelissimum tibi pectus'.

deinde carmen 416, quod inscribitur 'ad malivolum', cum 4, 5, 6 cognatum esse primo aspectu quivis videt. invehitur poeta in eum, qui eius 'famam sermone maligno temptaverat' (v. 3) aeque ac 5, 6 inimicus 'verba maligna iacere' dicitur. 'felliti' autem hic (v. 4) 'ioci' sunt, de quibus 5, 14 'atra venena' manant. 'lividus' hic appellatur, qui 4, 7 'livor' dicitur. cum autem poeta se nomen inimici prolaturum esse 4, 1 minatus sit, in hoc elegidio (v. 1) id facit Maximumque [2]) eum dicit [3]).

denique id elegidium, quod Baehrensius in codice Monacensi Lat. 6911 [4]) saeculi decimi tertii vel quarti post 440 positum invenit et in museo Rhenano XXXI p. 271 edidit, quamvis ipse una cum praecedenti Petronio tribuat, certa originis Annaeanae vestigia ostendit. quod cum non cuivis ad manus sit, hic paullo aliter quam a Baehrensio constitutum subicio:

'Phoebe fave coeptis nil grande petentibus aut quod
a te [5]) transferri turba maligna velit.

[1]) Herm. Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserreichs unter d. Regierung des Nero, Berlin 1872, p. 65.

[2]) fortasse cogitare licet de Trebellio Maximo saepe a Tacito memorato. neque obstat, quod Nerone imperatore cum Seneca consulatum gessit, id quod tradidit Gaius II 253 = Justinian. inst. II 234.

[3]) v. 7 Heinsius recte scripsit: 'hei peream, nisi sunt animi te, Maxime, causae' ('maxima causa' V), sed residet vitium in voce 'te', pro qua 'tibi' Riesius posuit, vix recte. nam ex versibus 8 et 9 intellegitur in hoc dictum fuisse de odio poetae in poetam, non de odio Maximi in poetam, de quo in superioribus versibus iam sat multa verba facta sunt. itaque faciliore mutatione rescribo: 'animi in (i) te, Maxime, causae.'

[4]) in V ideo omissum videtur, quod simile eius argumentum est atque praecedentis carminis et idem fere lemma ('de quieta vita' et 'de bono quietae vitae').

[5]) cum non id agatur, ut a Phoebo aliquid transferatur, sed ut ad aliquem transferatur, fortasse 'ad se' scribendum.

divitias averte. alios praetura sequatur
optantes, alios gratia [1]) magna iuvet.
hic praefectus agat classes alienaque castra
laetus sollicita sedulitate regat [2]),
bis senos huius metuat provincia fasces,
audiat hic plausus ter geminante manu.
pauperis arva soli securaque [3]) carmina curem,
nec sine [4]) fratre mihi transeat una dies.
otia contingant pigrae non sordida vitae,
nec timeat quicquam mens mea nec cupiat.
ignotumque diu [5]) solvat non aegra senectus
ossaque compositi [6]) frater uterque legat'.

manifestum est hoc quoque carmen ad exsilium Senecae referendum esse. is enim praetura, quam poeta se optare negat (v. 4), post exsilium demum functus est [7]) et cum male ei ante rei publicae administratio cessisset, iure idem quod huius carminis poeta dicere poterat se iam neque splendidam neque sordidam vitam, sed securam et a periculosis rei publicae negotiis alienam agere velle. gravius vero est, quod amor, quo Senecam fratres ambos amplexum esse scimus, hic quoque (v. 10 et 14) cernitur. deinde quod 'turbae malignae' (v. 2) mentio fit et quod in ultimo versu ante fratres se moriturum esse poeta dicit. haec quoque verba hominis fortuna graviter adflicti et ad tristissimas quasque cogitationes propensi videntur esse. verba vero, quae sunt 'gratia magna' (v. 4), non est quod cum Baehrensio in 'gloria magna' mutemus. neque enim ad vocabulum 'gratia', ut ille putat, supplendum est 'populi', quod hic vix aptum est, sed 'imperatoris'. huius autem gratiam in tali carmine Senecam memorare debuisse quis negabit? iam si quis hoc poematium non ad exsilii tempus, sed ad senectutem

---

[1]) 'gr̄a' cd. 'gloria' Baehrensius. v. quae infra dixi.

[2]) 'sollicita sollicitate roget' cd. corr. Baehrensius.

[3]) 'que' addidit Baehrensius.

[4]) 'me' cd. emendavit Baehrensius.

[5]) 'diu' non tentare debebat Baehrensius scribendo 'urbi'.

[6]) 'compositi' si non sepeliendi significationem habere putaverimus, sed verbi Graeci περιστέλλειν (v. Forcellinii lex. ed. de Vit. i. v.), non erit necessarium cum Baehrensio 'conbusti' scribere. ad totum hunc locum cf. de ira II 33, 6: 'dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere.'

[7]) Tac. ann. XII, 8.

referat, qua simili studio illum securum otium cupiisse et ex Tacito[1]) et ex epistulis ad Lucilium missis[2]) scimus. maxime obstant penultimi versus verba, quae senex scribere non poterat.

sed in ceteris quoque carminibus a Baehrensio Senecae aut Petronio tributis haud pauca insunt, quae Senecae esse, etsi non certis argumentis demonstrari, tamen probabile reddi potest. nam post tria carmina (236, 237, 396 R.), quae Annaeana esse satis docuisse mihi videor, in Vossiano exstant tria disticha de morte Catonis Uticensis, qua post Ciceronis et M. Bruti laudationes vix aliud ullum argumentum maiore studio cum rhetorum tum philosophorum et imprimis Stoicorum in scholis[3]) usque ad Augustini tempora[4]) celebratum est. hoc perspicitur, ut alia taceam, ex Horatii carminibus[5]) et Senecae patris suasoriis[6]) et controversiis[7]), multo vero magis ex Senecae filii libris philosophis, in quibus narratio mortis Catonis ad taedium usque repetitur. quin etiam in caeca eius admiratione eo progressus est, ut de tranqu. an. 17, 9 ridicula haec proferret: 'Catoni ebrietas obiecta est: facilius efficiet, quisquis obiecit ei, crimen honestum quam turpem Catonem.' iam cum insignes inter haec epigrammata et illas Senecae narrationes similitudines intercedant, verba eorum inter se comparabo:

epigr. 398, 1 sq.: 'ictu non potuit primo Cato solvere[8]) vitam. defecit tanto vulnere victa manus. altius inseruit digitos, qua spiritus ingens exiret, magnum dextera fecit iter.'	de provid. 2, 11: 'liquet mihi cum magno spectasse gaudio deos, dum ille vir acerrimus sui vindex alienae saluti consulit, ... dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera

1) ann. XIIII 54 et 56.

2) in primis XVII 3, 4 et XVIII 2. simillimo vero modo et iisdem interdum verbis atque in hoc carmine Seneca idem argumentum persecutus est Thyestae cantici secundi versibus 391—403 et Herculis prioris versibus 191—202.

3) Sen. ep. mor. III 3, 6: 'decantatae, inquis, in omnibus scholis fabulae istae (Metelli, Rutilii, Socratis, Mucii) sunt, iam mihi, cum ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis.'

4) de civit. dei I 23.

5) I 12, 35; II 1, 23 sq.

6) 6, 2; 4; 10.

7) VIII 4; X 3, 5.

8) v. quae p. 5 adnot. 1 de simili verbi solvendi usu Annaeano ad carmen 1, 7 observavi.

	spargit et illam sanctissimam animam indignamque, quae ferro contaminaretur, manu educit.'
399, 1 sq.: 'iussa[1]) manus sacri[2]) pectus violare Catonis haesit et inceptum victa reliquit opus[3]).'	ep. mor. VII 5, 13: 'adspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admoventem et vulnera parum demissa laxantem.' III 3, 8: 'nudas in volnus manus egit et generosum illum contemptoremque omnis potentiae spiritum non emisit, sed eiecit.'
399, 3: 'ille ait infesto contra sua vulnera vultu.'	III 3, 8: 'quo (volnere) obligato a medicis . . . . . iam non tantum Caesari, sed sibi iratus nudas in volnus manus egit.'
398, 5 sq.: 'opposuit Fortuna moram voluitque. Catonis sciremus ferro plus valuisse manum.'	de provid. 2, 11 sq.: 'liquet mihi cum magno spectasse gaudio deos . . . . . inde crediderim fuisse parum certum et efficax vulnus: non fuit diis immortalibus satis spectare Catonem semel. retenta ac revocata virtus est, ut in difficiliore parte se ostenderet. . . . . quidni libenter spectarent alumnum suum tam claro ac memorabili exitu evadentem?'

[1]) eximie hoc convenit mori Senecae, ut Cato suam ipsius manum se occidere iubeat, quam etiam in versu quinto alloquitur. Oed. 1038 Iocaste dicit: 'hunc, dextra, hunc pete uterum capacem, qui virum et gnatos tulit.'

[2]) cf. ad Marc. 22, 3: 'non fuit sanctior (filius tuus) quam Cato.'

[3]) Cato non primo vulnere occubuisse, sed id obligatum a medicis rescidisse narratur etiam ep. mor. VII 5, 7; VIII 1, 19; 2, 17; de tranqu. an. 16, 4, ubi post 'volnera' verbum 'volnerat', quod et facilius suppletur et Senecae usui melius convenit quam Haasii et Gertzii 'iterat', inserendum esse puto.

399, 6: ,sed [si][1]) liber erit, iam puto non dubitas.'

2. 10 Cato dicit de se: 'una manu latam libertati viam[2]) faciet. ferrum istud .... libertatem, quam patriae non potuit, Catoni dabit.'

399, 7 sq.: 'fas non est vivo quemquam servire Catone, nedum ipsum.'

ep. mor. III 3, 7: 'non pro mea adhuc, sed pro patriae libertate pugnavi nec agebam tanta pertinacia, ut liber, sed ut inter liberos viverem.'

XV 3. 71: 'scit se unum esse, de cuius statu non agatur: non enim quaeri, an liber Cato, sed an inter liberos sit.'

patet non solum narrationem eandem esse et sententias, quae non eae sunt, in quas quemvis incidere credibile sit, easdem vel similibus verbis expressas, verum etiam singulas quasdam locutiones prorsus congruere, sicut usu venit scriptori de eadem re, quam iam alibi attigit, sed ita, ut illum locum non inspiciat, scribenti. praeterea is modus, quo Cato in epigrammate 399 se ipsum et dextram suam alloquens inducitur, vix diversus est ab eo, quem Seneca tribus locis secutus est: de provid. 2, 10, ubi ille animum suum adhortatur, ep. mor. III 3. 7, ubi ad Fortunam verba facit, VIII 2, 15, ubi se ipse de morte sua consolatur. eiusdem autem carminis versus secundus ad exemplum Ovidiani art. am. II 78: 'vidit et inceptum dextra reliquit opus' — id quod iam Burmannus vidit — more Senecae solito expressus est. denique primum distichum (397), etsi Senecae esse propter brevitatem certis argumentis probare non possumus, tamen propter summam Catonis, quae in eo apparet, reverentiam sententiarumque acumina illo dignissima

[1]) verisimilius videtur voce 'liber' particulam 'si' haustam esse quam 'iam', quod Riesius aut 'modo', quod Haasius inseruit. nam in simili versus extremi sententia aeque 'si' positum est. Reginensis codicis Vossiano duobus saeculis recentioris supplementum 'quia', cum neque tam egregium sit quam Baehrensius l. s. p. 260 existimat, neque facile excidere potuerit nihil aliud nisi librarii alicuius coniectura videtur esse. eiusdem codicis variae lectiones 'magnum' pro 'magnus' in v. 4 et 'cuiquam' pro 'quemquam' in v. 7, quas Baehrensius probavit, merae sunt interpolationes propter voces propinquas 'aliquid' et 'vivo' factae.

[2]) v. 398, 3 sq.

et quia inter ea carmina legitur, quae eius esse aut certum aut valde probabile est, ab eo scribi saltem potuit.

subsequuntur in Vossiano quinque epigrammata de Cn. Pompeii eiusque filiorum sepulcris (400—404)[1], in quibus eandem illorum venerationem atque in superioribus Catonis deprehendimus. certissimum autem est haec, quae unius poetae esse facile est intellectu, ante Hadriani tempora composita esse, quippe qui Pompeii sepulcrum restauraverit[2], cum 402, 3 membra eius 'Libyco sepulcro male tecta' esse dicantur. iam scimus Senecae Pompeium maximae admirationi fuisse, id quod testantur cum alii loci tum hice: ad Marc. 20: 'si Gnaeum Pompeium decus istud firmamentumque imperii Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus p. R. princeps excesserat.' 22, 4 sq.: 'exclamavit Cordus tunc (cum Seiani statua in Pompeii theatro poneretur) vere theatrum perire. quid ergo? non rumperetur supra cineres Cn. Pompei constitui Seianum et in monimentis maximi imperatoris consecrari perfidum militem?' de brevit. vit. 13, 6 Pompeius dicitur: 'princeps civitatis et, ut fama tradidit, bonitatis eximiae.' ep. mor. VIII 2, 9: 'sed Cn. Pompeius amittet exercitum, sed illud pulcherrimum rei publicae praetextum optimates et prima acies Pompeianarum partium senatus ferens arma uno proelio profligabuntur.' XVIII 1, 30: 'denique in illa rei publicae trepidatione, cum illinc Caesar esset decem legionibus pugnacissimis subnixus, tot exterarum gentium praesidiis, hinc Cn. Pompeius satis unus adversus omnia' eqs. neque vero mirandum est 'Pompeium' his locis omnibus dici eum, qui in epigrammatis ubique 'Magnus' est. nam et aptius est cognomen metro dactylico et ipse Seneca ad Marc. 14, 3 haud dubie ad id respicit his verbis: 'in oculis erat iam Cn. Pompeius non aequo laturus animo quemquam alium esse in re p. magnum.' deinde etiam hoc, quod Martialis epigramma quoddam[3]) simile est nostris, ut de Seneca cogitem me adducit, quem etiam alibi Martialem imitatum esse iam supra vidimus[4]). dixerit tamen

[1]) quam in huius epigrammatis hexametro corruptelam in vocula 'ipso' inesse Riesius merito indicavit, miror nondum a quoquam ita emendatam esse, ut scriberetur 'isto'. nam non minus frequens est hoc pronomen, quod hic ad 'tumulo' referendum esse liquet, in Latinis epitaphiis quam in Graecis ὅδε.

[2]) Spartian. Hadr. 14, 14, Dio Cass. LXVIIII 11.

[3]) V 74: 'Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum terra tegit Libyae, si tamen ulla tegit. quid mirum, toto si spargitur orbe? iacere uno non poterat tanta ruina loco.'

[4]) p. 13 adnot. 2.

quispiam, cum inter epigrammata 400 et 401, 1 atque Lucani phars. VI 817 sq.[1]) similitudo quaedam intercedat, a Lucano ea profecta esse videturque ideo Riesius in verbis, quae supra posui, eum memoravisse. sed obstat, quod maiore cum probabilitate contendi potest Lucanum patrui, 'eruditorum principis[2])' versus imitatum esse et quod in vita Lucani a Vacca composita, ubi secundum vulgatam scripturam 'epigrammata' ei attribuuntur, lectio valde incerta est[3]). quamquam autem similem esse orationem horum epigrammatum sermoni Annaeano non tam luculenter demonstrari potest quam alibi[4]), verborum lusus, qui insunt in 401, 1 sq. et 402, 1 sq., Seneca, qui talia mirum quantum amat, sunt dignissimi.

ex proximis Vossiani carminibus duo praesertim (407[5]) et 408) Senecae esse admodum est probabile, quae et coniuncta leguntur cum carminibus 'de Corduba' (409), 'de custodia sepulcri' (410), 'in eum qui maligne iocatur' (412), 'ad malivolum' (416) et valde similia sunt. carmine enim 407 poeta aliquis, cui potentiorum hominum amicitiae perniciem attulerant, amicum, qui antea eum 'regum amicitias fugere' iusserat, rectissime iudicasse asseverat. quod quidem Senecam, qui ruinae Iuliae Livillae implicatus erat, facere potuisse vix, puto, quisquam negabit, praesertim cum regum illae amicitiae in versu secundo 'maximus scopulus' fuisse dicantur[6]). 'magna' autem 'ruina' (v. 10) eius exsilium iure dici poterat. deinde, ut taceam in libris philosophiae eum frequentissime ab amicitia potentiorum hominum dehortari vitamque tranquillam commendare, sententiae

---

[1]) 'Europam, miseri, Libyamque Asiamque timete, distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.'

[2]) ita eum appellavit Plin. n. h. XIIII § 51.

[3]) Teuffelius, R. L. G. [4] p. 684. in codicum lectionibus 'appamata' et 'ippamata' 'hypomnemata' aut 'epigrammata' aut 'δράματα' latere coniecerunt homines docti.

[4]) ut unum exemplum afferam, Pompeiorum interitus et 402, 5 et de benef. IIII 30, 2 'ruina' dicitur.

[5]) v. 1—4, qui in vetustis anthologiae exemplaribus singulare carmen efficiebant, iam Heinsius Senecae esse putabat.

[6]) ultimum distichum quod est 'non bene cum parvis iunguntur grandia rebus: stantia namque premunt, praecipitata ruunt' egregie in Senecam quadrat. cum enim una cum Iulia, a cuius partibus stetisse videtur, et accusatus et damnatus esset, merito dici poterat illius 'grandibus rebus' — scimus eam cum Messalina de amore Claudii contendisse — 'praecipitatis' etiam Senecae 'res parvas' eversas esse.

quoque et oratio cum Annaeanis comparari possunt: 'regis' nomen simili atque in versu primo significatione usurpatur Herc. fur. 164: ut in eodem versu dicitur: 'amicitias regum fuge'. ita ep. mor. XV 2, 14: 'alia (praecepta damus) regum amicitias sequenti': translata significatione et in versu septimo et ep. mor. II 7. 9 'contrahe vela' legitur: cum versu octavo: 'et te litoribus cymba propinqua vehat' conferenda sunt verba Ag. 103: 'felix mediae quisquis turbae sorte quietus aura stringit litora tuta timidusque mari credere cumbam remo terras propiore legit' et H. O. 693: 'me nulla vocet turba potentem. stringat tenuis litora puppis, nec magna meas aura phaselos iubeat medium scindere pontum'. cum nono: 'in plano semper tua sit fortuna' Ag. 84: 'nimias . . . domos, quas in planum quaelibet hora tulit ex alto', cum decimo: 'ex alto magna ruina venit' idem Agamemnonis locus et v. 101: 'quidquid in altum Fortuna tulit, ruitura levat.' denique hic quoque poeta Ovidii vestigia pressit multaque ex trist. III 4 in usum suum convertit, id quod primus P. Pithoeus intellexit, qui rectissime hos eius versus comparavit: (4 sq.) 'vive tibi et longe nomina magna fuge. vive tibi et quantumque potes praelustria vita' cum 407, 5 sq., (32) 'propositique, precor, contrahe vela tui' cum 407, 7. (44) 'amicitias et tibi iunge pares' cum 407, 9 sq. quibus addi possunt haec (17 sq.): 'qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum, sic cadit, ut tacta surgere possit humo' cum 409, 7 conferenda. — ad hoc carmen aperte respicit poematium 408, quia quae illius sententia primaria est: 'vive et amicitias regum fuge', in hoc (2) corrigitur et ita augetur, ut poeta dicat (1): 'vive et amicitias omnes fuge'. itaque admodum verisimile est hoc ab eodem atque illud compositum esse. iam sortem suam eam fuisse narrat poeta (3 sq.), ut maior amicus eum affligeret, minor desereret, pares omnes eum relinquerent. quae quamquam de Senecae exsilio, cuius satis tenuis memoria tradita non sunt, tamen vera esse certe possunt videturque 'maior' ille amicus, qui eum deseruit, idem ille esse, qui postea exsulem carminibus probrosis lacessivit. hunc enim, antequam poeta in exsilium pelleretur, ei amicum fuisse ex 396, 1 apparet[1]). 'maior'

[1]) hoc modo si versum illum interpretati erimus, necessarium non erit cum Baehrensio l. s. p. 260 'scrutare inimici' pro 'scrutaris amici' scribere. etsi enim recte codicis scripturae 'un' amici' originem ex hac 'ini us'
'amici' repetendam esse putat, tamen ea re nihil aliud probatur nisi

vero amicus, si coniecturam promere licet, fortasse is fuit, qui Messalinae iussu eum accusavit. praeterea notabilis est usus particulae 'necdum' (6), quam et ipsam 396, 2 reperimus, locutio 'i nunc' apud Senecam frequentissima[1]), similitudo versuum Ovidianorum trist. IIII 4, 3: 'usibus edocto si quicquam credis amico, vive tibi' cum 408, 7 sq.

deinde inter duo carmina, quae Senecae esse satis certis argumentis probavisse mihi videor (4 et 5), Vossianus carmen quoddam habet, cuius lemma est 'de Athenis' (411). quae cum (2) 'veteris famae vix signa dare' dicantur, bene hoc convenit cum urbis opibus tum temporis bellis civilibus tantopere exhaustis et debilitatis, ut cum urbis Romae magnificentia comparari omnino non possent et Hadriano demum imperatore laetius efflorescerent[2]). Mycenas autem, quas Troia[3]) vastiores iacere poeta narrat (5 sq.), cum iam paullo post proelium apud Thermopylas commissum[4]) ab Argivis dirutae essent, Senecae aetate vix minus vastas ac desertas fuisse quam nunc credibile est. iam vero ea sunt carminis verba — vide sis in primis 1, 5, 8 —, ut is, qui id composuit, et Athenas et Mycenas et Ilium visisse et in ipso itinere haec scripsisse videatur. tale iter Senecam ut omnes fere adulescentes Romanos nobiles studiorum causa suscepisse et per se est probabile et eo, quod nat. quaest. VI 21, 1 narrat in Aegaeo mari insulam se spectante natam esse fere certum fit[5]). porro ultimi versus, qui est: 'magnarum rerum magna sepulcra vides' sententia adeo non abhorret ab ingenio Senecae, ut dici

---

librarium quoque vocem 'amici' explicare non potuisse. ceterum convenit moribus Senecae, ut in minus potentem inimicum acerba convicia iaciat, potentiorem tantum memoret.

[1]) ad Helv. 10, 10: 'i nunc et puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi.' H. F. 89 'i nunc, superbe, caelitum sedes pete', aliis locis plurimis, quorum aliquot E. Gottschlichius collegit in miscellan. philol. a. 1858 a societate Latina Vratislaviensi Frid. Haasio oblatis p. 27.

[2]) C. Wachsmuth, die Stadt Athen im Alterth. I p. 650—686.

[3]) Ilienses, quorum urbem Romani eandem atque Troiam putabant, cum Claudio imperante omni munere publico soluti essent (Tac. ann. XII 58), Senecae temporibus satis bene se habuisse credibile est.

[4]) Pausan. II 16, 5.

[5]) hoc quoque, quod Seneca ep. mor. XVIII 1, 1 verba quaedam, quae Gallio frater in Achaia dixerat, affert, ostendere videtur eum ibi cum illo, quem pro consule ei provinciae praefuisse scimus ex act. apost. 18, 12, versatum esse.

possit vix ullum alium scriptorem plura verba de fragilitate humana fecisse. quare etiam si non Athenae hic (1) 'Cecropiae' ut 405, 8[1]) 'mel' dicerentur neque similia de magnarum urbium exitio ep. mor. VIII 2, 15[2]) legerentur, tamen adstipularer Scaligero et Heinsio, qui Senecae esse hoc poematium iam pridem coniecerunt.

de Britannia a Claudio subacta septem sunt epigrammata (419–426). quae cum omnia similes sententias simileque dicendi genus habeant, unius poetae videntur esse. nam quod eadem res saepius tractata est, hoc neminem, qui vetera epigrammata cognoverit, adducet, ut ea ab uno poeta profecta esse neget. Claudii vero expeditio Britannica suscepta est eo tempore, quo Seneca in Corsica exsulabat et omnes, quorum opera se inde liberatum iri sperabat, abiecto plane et humili modo adulabatur[3]). itaque cum Claudius Britanniam in dicionem redegisset, occasione tam egregia blandiendi usus ad Polyb. 13, 2 de eo haec verba facit: 'hic Germaniam[4]) pacet, Britanniam aperiat et patrios triumphos ducat et novos.' praeter hunc dialogum Medea in exsilio scripta est, cuius versus 595 sq. aperte et cum adulatione ad Britanniam victam respiciunt: 'parcite, o divi, veniam precamur, vivat ut tutus, mare qui subegit.' talia igitur si in Senecae libris nulli omnino dubitationi obnoxiis invenimus, quidni similia in epigrammatis, cuius generis carmina non aliam ob causam etiam ad Crispum miserat, proferre poterat? quanti autem momenti Claudius ipse deditionem Britanniae esse existimaverit, ex his verbis orationis Lugdunensis elucet, quibus frustra speciem quandam modestiae circumdare conatus est (col. 1 lin. 37 sq.): 'iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri et quo processerimus, vereor ne nimio insolentior videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperi ultra Oceanum[5]).' eo autem maiorem spem illo ipso tempore Seneca fovere poterat

---

[1]) add. locos a me p. 13 ad hunc ex tragoediis allatos.

[2]) 'omnes, quae usquam rerum potiuntur, urbes quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur.'

[3]) Dio Cass. LXI 10: *οὕτω τὴν Μεσσαλῖναν καὶ τοὺς Κλαυδίου ἐξελευθέρους ἐθώπευεν, ὥστε καὶ βιβλίον σφίσιν ἐκ τῆς νήσου πέμψαι ἐπαίνους αὐτῶν ἔχον, ὃ μετὰ ταῦτα ὑπ᾽ αἰσχύνης ἀπήλειψεν.*

[4]) 425, 1: 'opponis frustra rapidum, Germania, Rhenum.'

[5]) 419, 3: 'Oceanusque tuas ultra se respicit aras' et 423, 3: 'pars est imperii, terminus ante fuit.'

adulationibus reditum impetrandi. quod Claudius exsulibus quibusdam, ut ad triumphum spectandum in urbem commearent, permiserat [1]). quin etiam orationis horum epigrammatum et Senecae librorum quaedam est similitudo. cum 420. 4: 'libera victori quam cito colla (gens Britannorum) dedit' et 426. 5: 'subdidit insueto colla premenda iugo' conferri potest naenia apocolocyntosis c. 12 v. 15 (B.): 'caeruleos scuta Brigantas dare Romuleis colla catenis'. quo eodem loco (v. 17 sq.) similiter atque 419, 3; 421, 2; 423, 4; 424, 6; 425, 3 sq. v. 6 a Claudio Oceanus subactus esse dicitur. praeterea verba quae sunt (425, 4): 'Caesareos fasces imperiumque (Oceanus) tulit' bene concinunt cum eiusdem naeniae versu decimo septimo: 'iussit et ipsum nova Romanae iura securis tremere Oceanum'. vox 'titulus' eadem qua 420, 2 notione usurpatur H. f. 338: 'nobiles non sunt mihi avi nec altis inclitum titulis genus'. ep. mor. II 9. 4: 'regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur. oblivio alta subpressit'. alibi. voces 'inlibatus' (420, 2) et 'profundum' pro 'mare' (424. 5) amat Seneca, v. de const. sap. 6, 7 et de benef. II 4, 3; Med. 597 et ad Helv. 10. 2 et 5. 'praefulgendi' verbum, quod 426, 6 exstat, legitur etiam Ag. 728. ut 'tellus' 426, 9 'pervia' [2]) dicitur, ita Med. 372 'orbis'. denique antitheses, quales sunt 422, 3: 'felix adversis et sorte oppressa secunda' et 423, 6: 'pars est imperii, terminus ante fuit' et anaphorae 420, 1: 'victa prius nulli, nullo spectata triumpho' et verborum lusus 426. 10 'orbis et orbis' frequentissima sunt in omnibus Senecae libris.

at ut tandem dicam, quid sentiam, et ne eodem quaestionis genere iterum atque iterum retractato legentibus nauseam moveam, omnia illa carmina, quae in Vossiano inter 'tetrastichon authenticum de singulis mensibus' et elegiam, quae incipit a versu: 'sicine componis populos Fortuna furentis' leguntur (236, 237, 396—463), ex ampliore [3]) poematum Senecae collectione

[1]) Suet. Claud. 17.

[2]) v. quae supra ad 236, 4 dixi. addo 422, 2 'iaces' non 'iacet' legendum esse, nisi quis vix tolerabilem inconcinnitatem, quae propter vocabulum 'tibi' (4) oritur, servare velit.

[3]) aut quattuor aut plurium librorum eam fuisse inde conicio, quod librarius carmini 430 inscriptionem totius libri 'liber IIII', quam nimirum ad unum hoc carmen pertinere opinaretur, praeposuit. nam quominus cum Riesio, Peipero, Baehrensio anthologiae librum IIII significari existimem, ea re retineor, quod in libro Salmasiano ad 232, quod carmina de Corsica, quae et ipsa in Vossiano leguntur, paullo praecedit, ipse Baehrensius

eodem modo excerpta esse conicio, quo eiusdem codicis excerpta ex Martialis libris IIII—XIIII [1]) confecta sunt. quod ut existimem hae maxime causae me adducunt. sunt inter haec carmina, quae et arte dicendi et argumentis tam similia inter se sunt, ut eidem saltim aetati tribui debeant, haud pauca, quae certis aut probabilibus rationibus Senecae esse demonstrasse mihi videor, nullum vero, quod eius non esse ostendi possit [2]). immo sat multa eorum ob causas vix minus graves quam ea, quae Annaeana esse posse docuimus, ei adscribere licet. sic in 406 [3]), 413 [4]), 432, 454—456 eadem Catonis et Pompeii reverentia, quam in carminibus supra tractatis invenimus, occurrit. his adiungo 457 carmen de Cascarum fratrum morte, quorum factum ratione Senecae ingenio perquam accommodata, quamvis ipsi (7) 'par fratrum multo celebrandum carmine vatum' dicantur, tamen (2) 'scelus' appellatur. —

libri XXI numerum adscriptum esse l. s. p. 259 rettulit. praeterea idem, ut sententiae suae fidem faciat, non iusto loco libri quarti initium indicatum esse dicere coactus est et Peiperus tam exigui ambitus libros constituit, ut elegia 'de spe' (415) integrum librum efficiat.

[1]) v. Riesii editionem I p. XXXVIII et 295.

[2]) haud negaverim quaedam carmina a Seneca inter illa recipi potuisse, sed, ut hoc verum sit, pauca sine dubio ea sunt neque, quae sint, scio. afferre non licet epigramma 414, de cuius auctore ambigitur et quod, praesertim cum duorum tantum modo versuum sit, ab homine aliquo, qui id memoria tenebat, propter argumenti similitudinem post poematium 'de insepultis claris' addi poterat.

[3]) ut recte intellegatur hoc carmen, reicienda est Scaligeri coniectura in versu secundo pro 'apes' ex Ammiano Marcellino XVIII 4 'Sapor' scribentis. nam, ut taceam carmen multo antiquius videri, quid, quaeso, Sapori, Persarum regi, qui a. p. Ch. 359 Romanis bellum intulit, cum Pompeii manibus rei est? contra valde placet altera illius coniectura 'apex', quam, qui postea in eandem incidit, Peiperus in mus. Rhen. XXXI p. 199 Dracontii loco VIII 39: 'tu fortior Hector, culmen et urbis apex' confirmavit. adde locos in Forcellinii lexico congestos et carmen de Childeberto rege — constat quaedam in Senecae oratione inesse, quae in infima demum Latinitate redeant — editum in: notices et extraits de la bibliothèque du roi XII 2 p. 99: 'rex, regionis apex' et 'sic nobis hic domineris, apex'. notum vero est Senecae aetate artem magicam (Tac. ann. II 32, XII 22) et 'sacra alienigena' (ep. mor. XVIII 5, 22), quae infandae religionis' (5) iure dici poterant, floruisse. praeterea conferendi sunt Oedipi versus 548 sq., ubi pariter atque in hoc poematio terra patefacta est (v. 550) ad Laii umbram vocandam, hostia (v. 558) igni imponitur, 'carmen magicum' a Tiresia cantatur (v. 561).

[4]) cum versu tertio conferendus est locus de const. sap. 1, 2, quo Cato 'supra Pompeios et Caesares surrexisse' dicitur.

ad aliud genus referenda sunt ea carmina, quibus res ad moralem philosophiam pertinentes eaeque ipsae, quas Seneca et in libris solutae orationis et in tragoediis ad taedium usque repetit [1]), tractantur. de spe agitur longiore elegia 415 [2]), de fragilitate rerum humanarum et ingenii monumentorum immortalitate carminibus 417 et 418 [3]), de gloriae vanitate 437 [4]), 438 [5]), 447 [6]), cum vel maximis viris mori necesse sit et populi olim potentissimi iam nihil nisi clara nomina habeant, de vitae tranquillitate et

[1]) necessarium non est singulos locos, ex quorum magna copia aliquot supra memoravi, afferre.

[2]) hanc elegiam, qua argumentum ex philosophia morali petitum eodem modo similibusque exemplis atque in Senecae libris philosophis tractatur, Baehrensius quoque (p. 256) exsuli Senecae optime adscribi posse dixit. in eadem (39) occurrit cognomen illud Pompeii 'Magnus' et summa Marii et Catonis veneratio, qui, ut mos est Senecae, ceteris omnibus viris magnis etiam ea in re praefertur, quod ei soli spes numquam 'verba dare' (eadem locutio de clem. I 25, 4, ep. mor. V 9, 6, XIII 3, 8) potuerit. cum verbis (9) 'rebus gratissima laesis' comparanda sunt ea, quae leguntur 405. 1 'lassarumque ('laesarum' Riese) ancora rerum' et loci Annaeani ad hunc locum, cuius de scriptura ambigi potest, a me allati. ad 20 sq. iam Wernsdorfius de benef. I 1, 10 et ep. mor. XVII 1, 14 attulit. porro versus 36 pars posterior eadem est, quae apud Ovidium amor. III, 12, 1 pars prior, et 'laesis rebus' (9) Silius etiam Italicus XI 6 dixit, quem Senecam imitatum esse Frid. Leo in observat. p. 37 et 38 adnot. docuit. quod vero ad verba constituenda attinet, necessarium non puto, quod Riesius vult versus 33—38 post 40 collocari aut quod Birtius in libro, qui inscribitur 'Elpides' (Marburg, 1881), adnot. 186 versus 59 et 60 ante 51. nam etsi fortasse hoc paullo aptius foret, magis quam in ulla alia carmina in haec cadit Persianum illud (I 51): 'si qua elegidia crudi dictarunt proceres.' denique in lemmate 'quaeritur ('queritur' V) per exempla' scribendum est, cum argumentum prorsus more philosophorum tractetur, non cum Riesio 'queritur', quae lectio Birtio l. s. p. 72 falsae explicationis: 'poeta de spe queritur per exempla' ansam dedit. non queritur poeta de spe, sed ea se sustentat.

[3]) miror Baehrensium in versu 3 'cavas' pro 'calidas' conicere potuisse, cum in praecedenti carmine (v. 4) pyramidas medio die umbra fugere dicatur.

[4]) versus 3 idem initium est, quod 426, 9, et 'putris harena' exstat etiam 440, 2.

[5]) ad Pompeios hoc carmen sicut ea, quae supra tractavi, pertinet, id quod Riesius, qui vocem magnos hoc modo 'magnos' exprimendam curavit, recte intellexit.

[6]) simillimum est hoc carmen ei, quo de Athenis et Mycenis agitur (411), supra tractato. deinde perfecti forma 'perit', quae frequentissima est in tragoediis, reperitur in v. 3. aptius vero cum versu ultimo 'et magnum infelix nil nisi nomen habet' quam Vergilianus (Aen. VII 411) a Burmanno allatus: 'magnum iacet Ardea nomen' Pseudovidianus (met. XV 430), ut volunt, hic: 'quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?' comparatur.

fugiendis negotiis 433[1]) et 440[2]), non in opibus veras divitias positas esse, sed in animi bonitate et firmitate 443[3]) et 444.

ac ne lasciviora quidem illa et amatoria carmina: 427, 429[4]) — 431, 434—436, 439, 446, 448[5]) — 453, 458[6]) — 460, quae Baehrensius, cum a Seneca aliena esse putaret, Petronio attribuit, ei abiudicanda sunt. scimus enim et ex Plinii minoris loco supra indicato Senecam 'versiculos severos parum' fecisse et tribus poematiis (429, 431, 434) poeta ipse se excusat — qui quidem mos hercle non est Petronii —, quod non severa carmina componat aut amori se dedat. praeterea etiam vitam Senecae a libidinum et impudicitiae opprobriis non prorsus liberam fuisse ex iis, quae apud Dionem LXI 10 leguntur, apparet[7]).

supersunt quinque carmina, quae et ipsa non solum a Seneca aliena non esse ostendi potest, sed quae usui eius atque ingenio praeclare conveniant. ac primum duo carmina de Xerxe et Atho monte ab eo perfosso (442[8]) et 461), ut taceam genus

[1]) mire et sententiae et oratio huius carminis concinunt cum poematio 'de quieta vita'. praeterea Annaeana est vocis 'parvum' in v. 1 repetitio.

[2]) huius quoque carminis idem est argumentum atque poematii 'de quieta vita'. quae in v. 12 usurpatur imago, eadem est 407, 8, ad quem locum vide, quae supra p. 23 ex Seneca attuli. denique forma 'Corinthos' (5) in tragoediis frequenter obvia hic legitur ut 236, 2 'Cyrnos'.

[3]) ad v. 4: 'imum crusta tegit quod pretiosa locum' v. de benef. III 7, 1 et ep. mor. XIII 1, 6. verba vero, quae adhuc corrupta putabantur (7): 'aedibus in totis gemmae licet omnia claudant', non aliunde lucem accipiunt nisi ex hoc Senecae loco ep. mor. XIII 1, 7: 'eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus.' eandem igitur illa vim habent atque: 'licet in aedibus totis parietes gemmis tectae prorsus abscondantur.'

[4]) Riesius certissimae Ruhnkenii emendationis in versu 10 'telo' pro 'lecto' ad Rufinianum p. 259 b reponentis ne mentionem quidem fecit.

[5]) huius epigrammatis ad amicum, ut videtur, quendam missi exitus sicut carminis 441 videtur deesse. carmen vero 449, quo vinum laudatur, optime convenit cum Senecae loco, qui est de tranq. an. 17, 9.

[6]) in versu secundo legitur 'advocationem', de qua voce apud Senecam frequentissima v. Buecheleri adnotationem ad apocolocyntosin in Ritschelii symbola editam p. 69b.

[7]) cf. Schiller, l. c. p. 69.

[8]) idem fere carmen paullum immutatum et dimidio maius exstat in Salmasiano (239 R.). quare aut de altera editione carminum cogitare licet (v. etiam apparatum Riesii ad 237, 5) a Seneca ipso parata aut de recensione a grammatico aliquo instituta. magis autem ad hanc sententiam inclino, quod lemma carminis 460 'de monte Atho' Salmasiano carmini accomodatius est videturque grammaticus id, quamquam ipsum carmen mutaverat, reliquisse.

dicendi plane Annaeanum esse. de re agunt a Seneca magno studio cum alibi tum de benef. VI 31 et de const. sap. 4, 2 tractata. quin etiam verba haec (442, 3): 'solem texere sagittae' simillima sunt iis, quae legimus de benef. VI 31, 3: 'vix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela' et de const. sap. 4, 2: 'quid? tu putas tum, cum stolidus ille rex multitudine telorum diem obscuraret, ullam sagittam in solem incidisse?' carminis vero 461 prima verba: 'hic, quem cernis, Athos' ea sunt, quae ad iter illud Graecum referri possint et poeta iis se ipsum, cum montem 'undis pervium [1])' conspexisset, alloqui videatur.

deinde in carmine 428 'de tribus amicis bonis' iterum obvia est imitatio Ovidii. nam versus quarti verba 'sic est in tribus unus amor' rectissime cum epist. 9, 92: 'quamvis in tribus unus erat' Riesius contulit. quod autem ex tribus amicis neque Serranus, neque Vegetus, neque Herogenes in Senecae libris memorantur, parum refert. vix enim, puto, quisquam omnium eius amicorum nomina ab eo ipso nobis servata esse contendet, praesertim cum longe maxima pars librorum superstitum posterioribus demum vitae annis composita sit. porro quidni more poetarum Romanorum ficta haec nomina esse possunt et, ut Catullus eum, qui Tanusius erat, Volusium dixit, ita Serrani pro Clarani [2]) nomine positum esse?

ultimum in Vossiano locum duo de fratribus Maeviis carmina tenent (462, 463), quorum alter, cum in proelio Actiaco [3])

---

[1]) constat fossam illam, qua Xerxes montem Athon a terra continenti absciderat, non solum ad Thucydidis (IIII 109, 3) aetatem permansisse, sed Plinius quoque maior (n. h. IIII 10, 37) eius ut suis temporibus exstantis mentionem facit. itaque cum Scymnus Chius, qui fertur, in perieg. 646 sq. secundo vel primo a. Ch. saeculo conscripta prope Acanthum illam monstrari narret, facile fieri potuit, ut Senecae quoque peregrinanti ostenderetur. vocabulo autem 'pervius' singulari hac significatione Senecam uti solere memoravi iam ad 236, 4 p. 5.

[2]) huius, quem per multos annos non viderat, ut 'condiscipuli' et viri amicissimi mentionem facit ep. mor. VII 4, 1 sq.

[3]) similis res, quam Augustin. de civ. dei II 25 tangit, non, ut Meyerus et Riesius putant, ad bellum inter Octavianum et Antonium gestum pertinet, sed ad bellum Cinnanum, cui ab eiusdem aetatis scriptore Orosio V 19, 12 (ed. Zangern.) et ab eo, quem compilavit, Livio (epit. libri LXXVIIII) attribuitur. nam ipse Augustinus initio bellorum civilium hoc accidisse narrat et eius verba et epitomae simillima sunt inter se. qua occasione oblata addo apud Orosium VII 6, 3 fortasse corrigendum esse: 'quin etiam' et paullo inferius (7): 'permiserit cunctaque, quae . . . ., ipse abstulerit.'

fratrem inscius interfecisset, re intellecta ipse sibi manum intulit. unius autem ea poetae esse et totum dicendi genus et singulae quaedam locutiones ostendunt. iam non aliter tractatur haec narratio carminibus, ac si Seneca exemplum aliquod ex historia petitum prolixius, ut saepius fecit in libris philosophiae, narret eademque est artificiorum rhetoricorum copia. de bellorum vero civilium calamitatibus similia verba facit de benef. I 10, 2, de prov. 3, 14 tertioque quodam loco versibus 9—12 simillimo, quem reperire nunc quidem mihi non contigit. deinde Annaeanum dicendi genus esse, ne plura exempla proferam, probat unus locus ep. mor. XII 1, 23 a Meyero allatus et in lexicis obvius, quo ut 262, 36 'condere' pro 'conficere' dictum est. praeterea versu vicesimo primo miro illo modo ut 399, 5 et in libris philosophiae Cato moriturus dextram suam alloquitur, ita Maevius manum suam, ut se interficiat, cohortatur.

post haec carmina incipiunt ea, quae in exemplaribus satiris Petronii postponi solent et ex quibus ea certe, quae e nexu sententiarum quasi erepta videntur (465, 470, 473[1]), 475, 476), genuina esse possunt[2]). sed inter cetera quoque quaedam insunt, quae Annaeana esse videantur. sic distichon 468, quo uxor cum censu comparatur, eundem contemptum prae se fert, quo de mulieribus in dialogi de matrimonio fragmentis et alibi[3]) Seneca loquitur, atque 471[4]) et 474[5]), in quibus idem vitae tranquillae amor cernitur, qui in 433, 440, poematio 'de quieta vita' in memoriam revocant ea, quae Seneca ep. mor. I 12, 1 sq. de villa quadam, quae inter manus suas crevisset et quam

[1]) cf. ad hoc carmen Petron. 41 et Suet. Claud. 32.

[2]) 469 de Encolpio scriptum esse potest, qui patriam fugere coactus per tot terras et urbes erravit, ut Ithacus (6) merito dici posset. deinde versus 4 et 5, etsi res paullo in maius aucta est, bene in eum cadunt.

[3]) v. imprimis de rem. fortuit. 16.

[4]) 'i nunc', quod ad 408, 7 p. 24 adnot. 1 frequentissimum apud Senecam esse dixi, reperitur in versu septimo.

[5]) certum videtur, quod Scaliger vidit, hoc carmen olim cum 477 cohaesisse. neque tamen adiungendum hoc est illi, sed versus 7 et 8 carminis 474 post 477, 12 revocandi, id quod post Burmannum et Oudendorpium Buechelerus fecit. iam si cum Riesio lacunam duorum versuum post 477, 7 statuerimus, ne decimus quidem versus dubitationem movebit. ceterum adiectivum illud 'pervius' nota iam nobis significatione quartum hic (477, 2) reperitur.

iam diu possideret, dixit [1]). sententia autem, qua carmen 474 clauditur: 'neque enim fortuna malignior umquam eripiet nobis, quod prior hora dedit', quotiens Senecae decantata sit, nemo nescit, qui paullo accuratius eius libros cognoverit.[2])

verum haec dubitationi obnoxia sunt. id tamen hac disputatione effectum esse arbitror, ut tam similia inter se esse omnia haec carmina appareat, ut non solum eidem aetati, sed eidem poetae ea tribuere liceat. iam cum duodecim ex maxime probabilibus, ne dicam, certis causis Senecae tribui possint, cetera ex verisimilibus, cum libri Vossiani ea sit condicio, ut non plurium poetarum carmina temere permixta sint, sed exceptis fortasse poematiis Petronianis (466—479), in quibus nescio an aliena quaedam insint, ex singulorum poetarum libris plura excerpta et deinceps posita [3]), cum denique in iis, quae tractavimus, carminibus quaedam vestigia maioris cuiusdam collectionis insint, velut indicatum libri quarti initium [4]) et lemmata quaedam, quae a nullo alio nisi ab eo, qui certi alicuius poetae libros habebat, scripta esse possint [5]), vix, opinor, in audaciae crimen incurram, si id, quod supra significavi, repetiero, carmina 236, 237, 397—463 [6]) Vossiani, 232 Salmasiani, 'de quieta vita' Monacensis, ex iis carminibus, quae Senecam

[1]) cf. Herc. f. 196, ubi chorus haec dicit: 'me mea tellus lare secreto tutoque tegat.'

[2]) v. imprimis de benef. III 4 et ad Marc. 22, 1.

[3]) secundum catalogum bibliothecae publicae universitatis Lugduno-Batavae a. 1716 emissum p. 383 b haec continet V: 'Aratoris subdiaconi historiae Apostolicae libri II, Prosperi epigrammata, Tertulliani versus de incendio Sodomae, item de Iona, Catonis libri IV, fabulae versibus scriptae, Ausonii quaedam, Martialis epigrammata, versus sapientium h. e. Basili, Asmeni, Uomani, Euforbi, Iuliani, Hilasi, Palladi, Asclepiadi, Eusteni, Pompeiani Maximi, Vitalis, Alchimi Aviti episcopi ad Apollinarem libri VI poetici, ars Isidori de grammatica.' v. praeterea, quae Riesius I p. XXXVIII sq. et 295 dixit.

[4]) v. quae de eo p. 26 adnotatione 3 exposui.

[5]) 409 'de se ad patriam', 429 'quod non severa carmina scribat', 434 'excusat, quod amoribus serviat', add. 405 'ad amicum optimum', 428 'de tribus amicis bonis', 441 'de fratris filio parvulo', 445 'de amico mortuo', praeterea observandum est post carmen 463, ad quod praecedentis lemma pertinet, nihil singulis poematiis superscriptum esse.

[6]) de 414 dictum p. 27 est adnotatione 2.

composuisse traditum est, excerpta videri. ac ne quis obiciat mirum esse tam amplae collectionis tam exiguam memoriam superesse, moneo, quam multa secundum Quintilianum Seneca scripserit et quam parvus librorum, quae eius generis carmina complectebantur [1]), ambitus fuerit.

II.

Librorum de clementia partis amissae novum fragmentum.

Iam pridem [2]) intellectum est librorum de clementia secundi maiorem partem et tertium totum periisse. horum ut satis amplum fragmentum investigarem, felici casu mihi contigit. cum enim a Fabricio (biblioth. Lat. ed. Ernesti tom. II p. 106) relatum vidissem Hildebertum Cenomanensem [3]) integris Senecae de clementia libris videri usum esse, inspecta librorum eius editione ab Antonio Beaugendre Parisiis a. 1708 evulgata et loco, quem ille significaverat (ep. I 6), considerato illum quidem erravisse intellexi, sed in fragmentum Annaeanum nondum a quoquam prolatum incidi. data est epistula circa annum 1101 ad Adelam, Stephani Blesensis comitis Palatini uxorem [4]), quam marito absente imperium tenentem ob administrationis sapientiam laudat et ad clementiam adhortatur. cum autem iam in priore eius parte nonnulla ad imitationem Senecae librorum de

[1]) v. quae ea de re Birtius in oratione in conventu philologorum Trevirensi habita (a. 1880) p. 95 et in libro 'das antike Buchwesen' (Berol. 1882), eruditissime disputavit. accedit, quod epistularum moralium, quae etiam hac re non ad gravius quaestionum philosopharum genus pertinere patet (v. quae de iis in tertio harum disquisitionum capite Hermae inserendo disputabo), libri et ipsi satis breves sunt.

[2]) Fabricius biblioth. Lat. ed. Ernesti tom. II p. 106.

[3]) fuit ille primum Cenomanensis, deinde Turonensis episcopus et vixit ab anno 1057 ad 1134.

[4]) Beaugendre p. 5 adnot. *α*.

clementia scripta sint[1]), velut p. 5 extr. verba haec: 'igitur crudelem esse cum feris est habere commercium' comparari possunt cum iis, quae exstant de clem. I 5, 5: 'muliebre est furere in ira, ferarum vero et ne generosarum quidem praemordere et urguere proiectos', et I 25, 1: 'ferina ista rabies est sanguine gaudere et vulneribus', et p. 6 init.: 'cuius lares ratio tam superne despicit' cum iis, quae I 5, 5 leguntur: 'et iniurias atque offensiones superne despicere'. sub finem epistulae Hildebertus haec dicit: de clementia quoque compendiosa principibus capitula Seneca evigilavit[2]), in quibus ideo brevitatem dilexit non obscuram, ut magnis occupatos legere non taederet. ea igitur pro te et ad te suscepta suscipe atque recordare, quae dudum didicisti ex te et pro te. pauca ea sunt:

'clementiae est aliquid ultrici detrahere sententiae. quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit. culpa est totam persequi culpam. immisericordem profitetur, cui quicquid licet, libet. item: gloriosa virtus est in principe citra punire quam liceat. virtus est ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire. magnum quid est et divinum sapit offensus clemens. item: bonus princeps neminem sine paenitentia[3]) punit, neminem sine dolore proscribit. bonus

[1]) cum alia quamvis non memorato Senecae nomine ex amissa librorum de clementia parte petita videantur, quae praecedunt verba hic pono: 'quae igitur societas homini ad crudelitatem, cuius lares ratio tam superne despicit, tam longe relinquit, tam constanter abiurat, tam penitus ignorat? aliud illa habet contubernium atque aliis cohabitatoribus constipatur, inter quos clementia non ultimum possidet locum, qua, sicut humanitate nihil est affinius, ita nihil gloriosius in principe. ea rationem quasi pedissequa matrem familias comitetur oportet, cuius arbitrio severas potestates emolliat, mitiores animos advocet, reis parcat. omnibus enim virtutibus ratio praesidet, omnibus fines ordinat, omnibus suorum tempora denuntiat officiorum?' videtur tamen haud raro Hildebertus orationem suam ad dicendi genus Senecae formavisse.

[2]) 'Senecae vigilavit' Beaugendrii cod. Victor. 272, quod correxi. nam quod 'vigilavit' ad praecedentis enuntiati subiectum 'ratio' ita referri posse existimat ille (p. 559 sq. et adnot. d), ut explicet: 'sententias Senecae breves ratio providit' nemo, puto, probabit.

[3]) quod adhuc vulgabatur 'poena' sanum esse non potest. itaque 'paenitentia' scripsi, quae vox propter simile compendium atque in M (cf. dial. ed. Koch. p. 110, 27) exstat vocis 'misericordiam' 'mīam', in 'poena' videtur depravata esse. sententiam igitur nanciscimur hanc: bonum principem, quamvis iure maleficos puniat h. e. capitis damnet (cf. II 1, 1—3), tamen nunquam eius rei non paenitet. v. I 11, 2.

princeps ita crimen insequitur, ut, quem punit, hominem reminiscatur. item: bonus princeps sibi dominatur, populo servit, nullius sanguinem contemnit: inimici, sed eius, qui amicus fieri potest: nocentis, sed hominis. cuiuscunque sit, quia non potuit dare crimen, putat[1]) auferre. ideo, quoties funditur, confunditur.'

horum omnium quamvis diligenter libros de clementia perscrutanti nullum mihi contigit reperire vestigium. Senecae enim ea esse, etiam si Hildebertus non affirmaret, ex sententiis ipsis atque ex tota oratione perspiceretur. tales sunt verborum lusus: 'clementiae-sententiae', 'relinquit-delinquit', 'licet-libet', 'funditur-confunditur', v. O. Rauschnig, de Latinitate L. Annaei Senecae philosophi. Regim. Pruss. 1876. p. 26. anaphorae figura Senecae perquam usitata est in verbis: 'bonus princeps neminem sine paenitentia punit, neminem sine dolore proscribit'. dandi et auferendi verba similiter atque in penultima sententia coniunguntur de clem. I 21, 2: 'dandi auferendique vitam potens.' iam vero ex Hildeberti verbis vix sequitur, ut, quae est Fabricii sententia, integris de clementia libris usus esse videatur. immo, si verba eius subobscura paullo accuratius examinaverimus, eum ut in 'morali philosophia' eo, quem nos quoque habemus, libro de remediis fortuitorum in epitomen redacto, sic hic quoque sententiis quibusdam excerptis e Senecae de clementia libris integris usum esse intellegemus, quas tamen ab ipso ita scriptas esse opinabatur. quae quidem res optime cum eo convenit, quod librorum de clementia codex antiquissimus Nazarianus, quem Reinhardus Kekulé ineunte saeculo decimo aut exeunte nono scriptum esse dixit[2]), iam mutilus est ac ne eum quidem, unde exscriptus est, librum gravem illam iacturam passum esse subscriptio[3]) ostendit, quae, tamquam nullum defectus vestigium fuisset, apposita est. certum tamen existimo illa ex parte deperdita librorum de clementia excerpta esse. nam neque alium ullum Senecae librum novimus, in quo haec inesse potuerint et frequens 'boni principis' et 'principis' mentio eadem est in primo libro de clementia et secundo ad Neronem Caesarem missis. ceterum propter Beaugendrium

[1]) nescio an olim fuerit: 'potuit'.

[2]) apud Gertzium in praef. editionis p. III.

[3]) v. eundem librum p. 188.

(p. 6 adnot. d) et qui hunc exscripsit Vincentium Devit[1]. monendum est hoc solo loco Hildebertum e libris de clementia aliquid petivisse. nam in libro moralis philosophiae de honesto et utili non hos praesertim, ut illi putant, adhibuit, sed libros de beneficiis, de remediis fortuitorum, de tribus virtutibus cardinalibus, epistulas morales.

[1]) Varronis sententiae ed. V. D, p. 83.

Quae restant IIII capita, alibi edentur.

Index locorum.

(qui emendantur vel temptantur, asteriscis insigniti sunt.)

Vita scriptoris.

Natus sum Otto Rossbach Vratislaviae a. h. s. LVII die XIII mensis Iulii patre Augusto Rossbach, qui in academia Vratislaviensi munus professoris p. o. gerit, matre Augusta e gente Westphal. fidem profiteor evangelicam. vere anni LXVII receptus sum in gymnasium Vratislaviense, quod est ad aedem Mariae Magdalenae, ex quo cum maturitatis testimonio dimissus autumno anni LXXVI Ienam migravi, ubi per unum annum scholis philologicis, historicis, philosophicis virorum eruditissimorum Baehrens, Delbrueck, Eucken, Gaedechens, de Gutschmid, Rohde, M. Schmidt, Sievers interfui. Vratislaviam redux docentes audivi Dilthey, Hertz, Kaibel, Ludwig, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Strasser, Weber usque ad mensem Aprilem anni LXXXI, quo Kaibelium, ut diutius saluberrima eius disciplina fruerer, Rostochium secutus sum. in qua academia magistris usus sum Fritzsche, Kaibel, Koerte, Schirrmacher. quibus viris omnibus praeter ceteros vero patri optimo et Georgio Kaibel gratias ago quam maximas. seminariorum philologicorum Ienensis per dimidium annum, Vratislaviensis per annum sodalis ordinarius fui. militabam Vratislaviae a vere anni LXXVIII h. s. usque ad autumnum LXXVIIII in legione quinquagesima prima.

Cervimontii

ex officina societatis 'der Bote aus dem Riesengebirge'.